



Exercitatio juridica inauguralis de naufragiis

<https://hdl.handle.net/1874/347322>

54.

EXERCITATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
NAUFRAGIIS,
QVAM,

AUSPICE DIVINO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq[ue] Divini ibidem in

Ecclesiâ Praeconis,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis

rite & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

TIMOTHEUS AB EYNDHOVEN, WOERDA-BAT.

A. D. xi. Martii, loco horisque consuetis.



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc xc.

TRIUNI
DEO

Seque, suumque sacrum facit

A U C T O R.

ANTELOQUIUM.



EMPERA TE TEMPORI, Decantatum
est, passimque receptum axioma; mihi
quidem, juxta cum haud infruniti Græ-
censis Pittaci sapienti dicto, *καὶ πότε γνῶσι*,
monitum salubre; in præsens certè,
quando nixus trudo sublimiores ad Docto-
rum præmia frontium; quarum dum sa-
tago turbæ misceri, adumbranda saltē
erant, & modo obiter perstringenda, quæ ex professo de NAU-
FRAGIIS excutere latius liberet, si liceret; neque admodum,
ut reor, in tempestate: scil. præter argumenta raritatem, su-
biit dulcedo primum patrocinium iis largiri meum, qui nunc
vix mare liberum tutumque fulcantes, amolituri publicæ rei
luctuosa, libertati obstrigilantia, commerciis exitialia, Pro
Aris denique & Focis Naufragium faciunt; quorum (prob!)
densata vidimus funera, nuper surgentibus iratis undis;
quales sane non horruit gloriissimus expeditione Britannica
REX TRIPLEX AURIACUS, quando pro Religione, pro
Libertate Regum Maximus, (cujus non debet oblivio obrue-
re, neu obrepere Natos natorum, & qui nascentur ab illis)

— — — Fragilem truci
Commisit pelago ratem,
Nec timuit præcipitem Africum,
Decertantem aquilonibus;
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos. — — —

EXERCITATIO JURIDICA
INAUGURALIS
NAUFRAGIIS.

Num.I.



N prora haud alienum fuerit , de navigandi origine , navigiorumque inventione quicquam è vetustate prælibare; Præter ea , quæ scribit de *Rerum Inventor*. *Polydorus Virgilinus lib. 3. c. 15.* dicendum hic non Jano , non Herculi , ut est in Poëtarum narrationibus , non Prometheo , id glorianti (cujus meminit M. Ant. Muretus ,) non Æginetis , aut Phænicibus deberi navium excogitatum stabilitumque usum : sed post Noachum , (quem Instructore Deo , primâ rerum omnium causâ , arcam fabricando usum navium vulgo ferunt introduxisse) ejusque nepotes , Britannis forte , si credimus Plinio *lib. 4. c. 16. l. 7. c. 56.* aut , quos S. Pagina alibi Maris Principes nuncupat , *Vid. Ezech. 27: 8. 1 Reg. 9: 27. 2 Chron. 8: 18.* Tyriis potius , assignante juxta Strabonem , Tibullo , cum canit

Utque maris vastum prospectet turribus aquor,

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

vel , si cum plerisque mavis Historicis , Jasoni , obstrerente licet Rosino in *Antiquit. lib. 7. c. 32.* nam inter notos Argonautas habetur Princeps

Primusque ratis fabricator Jason.

Rursum ,

Æquor Jasonio pulsatum remige primum.

(ex quibus tamen vix ac ne vix quidem efficitur , ante eum incognitam navigationem fuisse , utpote cuius artis notitiam animo meo persuasum manet vel ante diluvium percrebuisse , Noamque , quem potius navium melius extruendarum rationem dedisse cum cordatoribus colligo. Adde omnino , quæ ex tanto rerum antiquarum Naufragio collegit ineffabili felicitate vir summus D. Joh. Schefferus de Milit. Naval. *Vet. lib. 1. c. 2. & per tot.*)

II. Id verò quando ? Non multùm ante Trojanum bellum , id est , 350 annis ante Romanam conditam , 1000 ante Christum ; unde cave , ne vapulet

EXERCITATIO JURIDICA INAUGURALIS.

5

let nimium Plinius, navium inventionem, juxta Mysos, Trojanis tribuens,
cum transirent adversus Thracas, in Hellesponto; vel Danao in mari rubro;
 vel Erythræ Regi, inter insulas, quarum magna vis est in Græcia. *Plin.*
ibid. Qui autem eas infederunt, iis maxime de repertis primum navibus
 credendum esse, recte, ut puto, disputat *D. Theod. Graswinkel. in Maris*
Liberi Vind. advers. Petr. Baptif. Burgum p. 28.

III. De variis navium generibus non est, quod scrutemur multa; id
 constat, antiquis cognitas fuisse naves vitiles, myoparones, lembos, le-
 nunculos, caudicarias, de quib. v. *A. Gellium, Rosn. ibid.* fueredromones,
I. 2. §. 2. C. d. off. P. P. Af. Pontones *I. ult. ff. d. S. P. R.* biremes, triremes, qua-
 driremes, ad quinquaginta usque, & amplius; ut &c cymbas, a quibus di-
 cuntur cymbia *I. 32. §. 1. ff. d. a. & arg. leg. celoces, circeros, lintres, sca-*
phas, quæ mediocritate à navi distant. I. ult. ff. d. instr. & instr. leg. I. 44. ff.
d. Eviöt. (ubi *parva navicula* dicitur scapha, quæ Plutarcho & Diodoro *aca-*
tium dicitur, Isodoro *carabum*) & simil. Nempe nulla ars stat diu intra ini-
 tium suum: sed incrementa sensim capit, properante natura novas identi-
 dem edere formas; hinc evenit, ut à variis varia sint reperta navis admini-
 cula, vela, remi, gubernacula, transtra, antennæ, mala, aliaque id ge-
 nus armamenta *I. 3. §. 1. ff. d. V. S.* quæ navis dicuntur membra. *d. I. 44.*
ff. d. eviöt. I. 242. pr. ff. de V. S. sine quibus navium non aliud est usus, quam
 tabulæ in naufragio, differente *Graswinkelio loc. cit.*

IV. Nil quoque notius, quam ab usu naves varias haussisse appellatio-
 nes; inde esse naves palearum *Cic. I. d. fin.* frumentarias *Cæs. 3. d. Bell. Gall.*
 quibus qui Romam sex annis frumentum portaverint Latini, civitatem Ro-
 manam accepere, dummodo non minorem, quam decem millia modiorum
 fabricaverint navem, *Ulpian. fragm. tit. d. latin. §. 6. Sueton. in Claud. c. 18.*
19. carbonarias, farinarias, lutarias, aquarias, vinarias *I. 2. ff. d. capr. &*
postl. revers. ad quam leg. mira ingenii felicitate, dicam an industria *Annota-*
tiones conscripsit D. Lazar. Bayfius; in quibus tractatur *de re Naval.* Alias
 naves à ministerio dici aut officio, bellicas, onerarias, vectorum ductri-
 ces *I. I. §. 12. ff. d. exerc. act.* Alias à forma nuncupari longas (inter quas ta-
 men nullo jure numerari potuisset Navis illa *Myrmecidis*, cuius meminit
Cic. 4. Acad. quam usque adeo minutam consecisse referunt, ut eam apicu-
 la pinnis absconderet. *Pollet. històr. for. Rom. p. 187.* tectas, constratas, hep-
 teres, phaselos, tradente Navium earum figuræ, plurimumque laudato Scheffe-
 ro, nec non Bayfio. Aliæ meruere dici à loco, marinæ, flaviat' es, sche-
 dia; quarum quoniam meminit Ulpianus in *I. I. §. 6. ff. d. Exerc. act. lu-*
bebit

6 EXERCITATIO JURIDICA

bebit in has inquirere; Hallucinantur sine dubio, qui *Synedria* loco *Schedia* reponere gestivere; ut pote quæ *Synedria* navis genus erat, quod spatiani gratia pararetur, & in qua sedilia fabricata erant. *Peck. ad rem nautic. ad d. l. 1. §. 6. n. 7. ibique D. Vinn.* proinde, ut simile vero est, specie magis commoda, atque affabrius polita, quam *Schedia*: siquidem hæc, genus erat navigii rude, sine fabrica, illumatum, non sic circumferundis hominibus accommodatum, quam operæ subitariæ atque tumultuariae conducibile, puta vehundis lignis: ut eæ sint *Schediae*, quæ naves ξυληγαὶ i. e. lignorum vectrices rite appellantur in *L. 55. §. 5. ff. d. L. 3.* quasque Nostrates forsitan dicerent *ēen Plot*; ut adsolent fabri trabes inter se & tigna connectere, quæ invicem juncta compactaque navigii vicem præbere queant; derivato verbo à Græco χέδιον i. e. subito, inconsiderate, ex tempore factum; qua ratione componens pingui Minerva poëmata, consecisse *Schedias* dicitur. Alii per eas ejusmodi volumina intelligunt, quæ primo rudatu & opificio sunt deformata, non adhuc lævigata, æquata, expolita atque ad unguem cælata, seu ad ultimam consummationem redacta.

V. Unum superaddo de *vivilibus*, quas diximus, navibus, dicendas esse eas fortean, non *vitiles* ut Plinio visum *d. loc.* sed vel *viles*, demà syllabâ mediâ, vel quod magis arridet, *Sutiles*; converso rō vi in sū. Unde Maro

— *Gemuit sub pondere cymba*

Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

non inquam vitiles: quia vites ineptas scimus producendis super æquore Mercuriis; ut proin non è vite, sed juncoso forsitan vimine, scirpo, aut arundine, vitiles sic dictæ rates (quas juncetas ideo, matteas, plicatiles dixerat Plinius Liliusque Gyraldus) sint quasi contabulæ, aut, potius consultæ, bubulis utribus, coriove, papyroque circumfutæ: quem morem perstrinxit concinne Lucanus isthoc carmine,

Primum cana salix madefacto vimine parvam

Texitur in puppim, cæisque induta juvenco

Vectoris patiens tumidum supereminet amnum:

Sic Venetus stagnante Pado, fæsoque Britannus

Navigat Oceano, sic cum tenet omnia Nilus

Conseritur bibula Memphis cymba papyro.

Collectio equidem, sicut præmissa digressio Antiquaria, non inficeta, neu improbabilis, curiosior tamen, quam utilior! de Navi itaque ad ejus usum.

VI. Hic

VI. Hic est, ut naviget: etenim ad hoc paratur navis, ut navigandum mittatur, licet naufragii periculum immineat, l. 12. §. 1. ff. d. usufr. id quod procul dubio ad fructuarium spectaret, si forte, tempore hyemis, quo navigatio saepe periculosa est & semper incerta, l. 6. C. d. off. Rec. Pr. temerè naviget, vel coorta tempestate. *Groenew. ad d. l. 12. §. 1. de usufr. Faber, Mornac. b. t.* sive homo sit, qui naviget l. 122. §. 1. ff. d. Verb. Obl. sive navis ipsa l. 1. §. 6. ff. d. Exerc. act. sive merces l. 1. ff. d. Naut. fan. Navigare autem Reip. esse accommodatissimum Jctus Ulpianus differit in l. 1. §. 20. ff. d. Exerc. act. effato verissimo, *ad summam Remp. navium exercitio pertinet*; tradidit rationem Aristoteles Pol. l. 7. c. 6. nam inquit, *Reip. salus atque presidium ejus robore continetur*; cum autem terrestres profectio[n]es plenæ laborum sint, & diutinæ, ut exemplo esse potest Ulysses,

Multorum mores hominum qui vidit, & urbes,

ubi totos decem annos in itinere fuit à Troja ad Ithacam insulam in-Helle-spon-to, ut narrat an fabulatur Homerus, ac non laboriosum duntaxat, verum etiam impossibile foret, ut per tractus terrenos cuncta sarciretur copia, iccirco maris dorsum extensem voluit Deus, super quo carinæ natent, equitentque puppes, ut beent rerum nostrarum seriem, per commerciorum commoda; quæ quanta sint & qualia in asportandis permutandisque mercibus, vitæ humanæ necessariis, (dum

Non omnis fert omnia tellus)

subsidio mutuo, alterna opera, ad barbarorum insuper necessitudines, regumque amicitias, quin ad disseminandum Salvatoris Christi Euangeliū inter diffusa cæcarum gentium agmina, expertis præ cæteris crede Belgis nostris; quorum quidem Navigatio non in sinu solo Oceani, quo Rhodiorum fere naves continebantur, sed qua sol diem terris monstrat, exercita est; quin per inhospita & petrifica saxa vagata, ad glacialis loca, ad extremos Indos: unde majores quoque ac firmiores, quam Rhodiis olim contigerunt, divitias honoresque, ad circumcolentium populorum terrorem & invidiam, acquisiſſere; Evidem naturali quadam necessitate ad maritima velut compellimur itinera, nec non commercia; eoque hæc oportet esse liberiora, quo iis destituta mortalitas, nec bene esse, nec beate pacateque vivere, quin nec subsistere aut tueri sese posset; utut res periculi plena sit & incerta. d. l. 6. C. d. off. Rec. Prov. unde *Juvenal. Satyr. 12.* dicit nava[n]tes esse digitis à morte remotos

Quatuor aut septem, si sit larissima teda.

Memorabile circumfertur dictum Biantis de Nautis, quod neque inter vi-
vos

8 EXERCITATIO JURIDICA

vos neque inter mortuos sint referendi, ut Plato refert alibi. Narrat & Plutarchus in vita Catonis, tria ei præcipue, dum aurâ vesceretur, displicuisse; primum, quod arcana mulieri credidisset; alterum, quod mari profectus, quo terra pervenire potuisset; tertium, quod sine linea ducta diem abire passus esset; inde monitum vulgare

Nulla dies abeat, quin linea ducta superstet.

Item Anacharsis Schytha, apud Diogenem Laertium percunctanti cuidam, quænam esset securissima navis? ea, inquit, quæ in portum venerit. Vid. Plutarc. 7. apoph. hinc tritum id

Ad vesperum lauda matutinum

Lauda navigantis felicitatem,

Sed cum pervenerit ad portum.

VII. Cæterum, quam putandum est præprimis proficuum, mercioniis frequentandis salum percurrere, sic miserrima rerum facies est, si modulante Virgilio

— — — stridens aquilone procella

Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit,

Franguntur remi, tum prora avertit & undis

Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons;

si non uno loco convulsa fatidica ratis, uti navem appellat Valerius Flaccus in Argonaut, hauriat mare; ubi venti rupere funes, disiecere vela, nautæ palentes cum tempestate frustra luctantur; præ amicis opibus mallent vile suber; ubi vectorum aliis arripit remum, aliis contum, aliis alveum, aliis fistulam, aliis tabulam, ac suo quisque præsidio nitens committit se fluctibus, dicam aquarium montibus, jam jam tacturis sidera summa, jam jam tartara nigra; ubi non lacera tantum est, & undique undas, (ad quas collecti Alpes, verrucæ sunt,) combibens; verum in totum fracta navis, quando verum est naufragium, quod per quam proprie describitur navis fratio, sive fractura, ut notat Glos. in rubr. C. d. naufr. Azo in summ. ibid. cui convenit Hellenisticum *ravδιον* ex ἄρω frango, & ναυς navis; quam Senatus Populusque Hebræus suo exprimit idiomate οὐδὲ à Radice οὐδὲ mæstus fuit, quasi navis mæstos reddat homines, sane ubi exanimes vel angunt, vel tangunt naufragia. Alioquin pro navigandi periculo, quandoque pro navigationis damno, & infortunio, & jactura sumitur; Hinc naufragium facere, quod est, sustinere, pati, l. 9. ff. d. L. Rhod. d. jact. juncta l. 2. C. d. naufr. unde sequi tum *interitus* rerum adsolet, tum personarum dispendium, immo miserrima fortuna, l. ult. l. 3. C. cod. l. 3. §. 8. ff. d. incend.

ruin

I N A U G U R A L I S.

rain. naufr. cui, si valuerit, indubie restituet humana fragilitas, damnum id fatale, casumque majorem averruncasset: nam naufragium casus nomen mereri, satis manifestum est, ex l. 3. C. d. naufr. autb. navigia C. d. furt. l. 18. pr. ff. commod. l. 2. §. 8. ff. si quis cant. in jnd. arg. l. 23. ff. d. R. f. super quo utili Titulo elimitas recordor lectiones Cl. Promotoris, D. Luce van de Poll, quem honoris causa nomino gratius.

VIII. Pergimus disceptare, si quo casu contingente navigium ruptum fuerit, pluresque inde necati sint, quis prior perisse existimandus sit? Res indubie dubia! Resolutio est, regulariter praesumi commortuos. l. 16. l. 17. l. 18. ff. d. reb. dub. nisi favor patroni, vel fideicommissi aliud exigat, aliudve ordo mortalitatis suadeat. *Cl. Voer ad d. Tit. D. Wissemb. ibid.* Qua ratione vicissim queritur, uter creditur prior spiritum emisisse, pater, an filius, si utrumque violentia tempestatis obruerit? ut utar dicto l. 3. C. d. Nanfr. Disputabant Icti inante acrius, qui exinde convenere placidius; scil. distinctionis Caduceo conciliatio facta fuit, talis fere: filius, qui cum patre simul vita functus fuerit, vel pubes sit, vel impubes; hoc casu perisse videtur prior filius; isto pater: Ratio est in corporis firmitate, quæ adesse creditur præ patre filio puberi, non etiam impuberi, quem infirmitas virium & corporis facit praesumi prius extinctum: vid. l. 9. §. ult. l. 22. d. reb. dub. *Zoef. ibid. n. 5.* nihil faciente patris affectu in defendendo filium. *arg. l. 15. ff. d. inoff. test.*

IX. Subsequitur dubitatio; utrum id, quod naufragii vitandi causa foras ejicitur, maneat ejicientis, an vero cedat occupanti? Nostra vela tendunt in castra priorem sententiam veriorem existimantium, quos inter *Gothofredus*, *Salmans*, *Pacius*, *Leffius* d. *just. & jur. aliqui*; Quippe, cum iste jactus fuerit factus imminente periculo naufragii, minime vero è libera atque spontanea ejicientis voluntate profectus, l. 43. §. 10. 11. ff. defurt. manente desiderio rem in mare ejectam recuperandi, arbitramur manere veteri Domino jus integrum, eique rem intemeratam esse restituendam sub furti pena. *d. l. 43. §. 11. §. ult. f. de Rer. Divis.* quandoquidem isti Domino nullus adfuerat animus derelinquendi, sed longè potius, si requisierit, auferendi. l. 2. §. ult. l. 8. ff. ad *L. Rhod. de jact. arg. l. 8. §. ult. ff. fam ercise. l. ult. ff. d. incend. ruin. naufr. l. 9. §. ult. ff. d. A. R. D. l. 21. §. 2. ff. d. Acq. Poss. &c.* Nisi velis eatenus jactum mercium pro voluntario censeri, atque res jactas haberi pro derelictis, quatenus voluntas ex duobus malis minimum eligit. *Arist. 3. Ethic. 1.* sed, quia periculum illud externum accedit, videlicet praesentissimum id urgense que naufragii periculum, idcirco non potest eatenus pro derelicto haberi projectum,

10 EXERCITATIO JURIDICA

jectum, ut capientis fieri queat, Cl. Hub. Digress. lib. 4. c. 26. 27. ad stipula-
tore Frederico, auth. *navigia C. d. furt.* ubi navigantium bona integra jubet
dominis reservari, si vel rupta fluctibus vel expugnata (vid. l. 6. ff. de incend.
ruin. naufr.) navis fuerit, in portum autem vel alias ripas pervenerint per-
sonæ vel res, quas jurasses simul à fluctibus obrutas, à rapiente vortice de-
glutitas, à dehiscente ponto sepultas; quamvis hic sit excipiendus casus,
nempe, si quæ *navigia pyraticam* exercecerent pravitatem, vel inimica essent
Christiano nomini. d. auth. C. d. furt. l. 18. C. eod. l. 5. ff. d. incend. *ruin.*
naufr.

— — — Neque enim lex justior ulla est!

X. Sic & alibi Imperator prohibuit Fisco, ne in aliena calamitate, de re
tam luctuosa compendium sectetur. l. 1. C. de *naufr.* Quanquam sint
quæplurima apud nos sive Fisci, sive eorum, quibus Fisci jus indulgetur,
jura, quæ *dominio*, quod tractant, *marino* (circa quod ridiculè non di-
sputavit laudatus cum Burgo Grafsinkelius) subniti putant; veluti fisci
applicatio bonorum in mari derelictorum, quæ verè vim sortitur: nam Sa-
tyrico teste,

Quicquid conspicuum, pulchrumque ex aquore toto est,

Res Fisci est, ubicunque natat:

sicut apud Gallos dominus Provinciæ & territorii naufragorum bona, velut
oberrantia, incertumve dominum habentia occupat, sibique acquirit: ne
dicam de Hispanorum, Anglorum, aliorumque moribus. D. Groenew. add.
l. 1. C. qui, (dicam intrepidè ac rotundè,) abscedunt prorsus ab æquitatis ju-
stitiaque rectitudine; Petr. Rebuff. in proam. ad l. Reg. gl. 5. n. 74. D. Matth.
d. criminib. Tit. d. furt. n. 4. Gudelin. d. Jur. Nov. lib. 5. c. 10. Gail. 1. obs. 18.
Arif. Tepat. dec. 534. Itaque merito repudiantur cum magno Grotio lib. 2.
c. 7. in quem hic illic calamum strinxit Janus Feldenus; sed in eum non fri-
gidas videsis *Grafsinkelii stricturas*.

XI. Irrationabilior lex fieret, ut Naufragia sint publicanorum, avarum
id hominum audaxque genus! l. 12. ff. d. *publican.* Sicut Attico invaluisse
more, autor est D. Meurs. Them. att. lib. 2. c. 2. quin idem Rhodia legi re-
ceptum fuisse, veteres quidam notarunt; eo moti, quod occurrit in l. 9.
ff. d. l. Rhod. in verb. *direpti sumus à publicanis.* id, quod merito displicet,
per ea, quæ pro more suo doctè inculcat Cl. Hub. in *prælect.* ad ff. add. l. 9.
Rectius civilem pñnam constitutam reperio in eos, qui dolo malo quip-
piam ex naufragiis, ante, vel post, vel alio loco situm rapuerint, l. 18. C. d.
furt. l. 1. 2. 3. 4. 5. ff. d. *incend. ruin. naufr.* l. 3. C. d. *navicul.* l. 5. C. d. *naufr.*
ibique

ibique D. Groenew. vel receperint dolo m. Azo ad d. tit. C. quin qui naufragos suppresserit, fecerit dolo malo, quo minus navi vel periclitantibus subveniretur, in L. Corn. d. siccari. incidit l. 3. §. ult. ff. d. incen. ruin. naufr. D. Matth. add. L. Corn. d. siccari. n. 1. de jure quoque Canonum mactantur excommunicationis acie, qui naufragium passos spoliant. C. excommunicationi X. d. rapt. Quid enim, si non hoc ipsum, est afflictionem afflito addere? quod jura vetant. l. 14. ff. d. off. Praef. l. 28. C. d. Episc. Aud. & sim. Add. D. Matth. Tit. d. damn. injur. dat. c. 3. n. 3. inf. Ceterum qui navem effregerit, eaque ratione naufragus fuerit, vimve fecerit nautæ, propter tenuitatem in nave habitanti, supplicii rigorem, non fecus atque Deos Penates violasset, haud evitabit. D. Matth. tit. d. vi publ. c. 4. n. 14. Addeſis amandi Fratris Pet. ab Eydhooven Dissert. d. inan. act. p. inop. §. 67. Gail. 1. obs. 18.

XII. Id porro querunt, an de submersis navibus, aliæque navales cauſæ, levato velo cognosci debeant? Profecto; judicibus Impp. in l. 5. C. d. naufr. Neque injuria nauticæ controversiæ, nulla mora, nullis sumtibus, promptoqe & faciliter judicio definiuntur & componuntur, perque eos quidem convenientius, qui magno commerciorum usu, & longa maritimarum rerum experientia imbuti, utut Præticia, quod ajunt, ac forensium tricarum sint agrestes: siquidem diuturnis litium ambagibus mercaturæ, aliisque nauticis negotiis de facili remora injiceretur, navesque ire tardius occiperent; quasi adhærente carinis echino: cui, quantumvis perexiguo pisciculo, occultam navis retinendæ vim adscribunt naturalium rufipatores. V. Chr. Beccan. d. orig. L. Lat. in voc. Nausca. Præterquam, quod Valerio teste lib. 8. c. 12. sua quisque artis optimus & autor est & disputator: hinc ipsis non fuit infrequens JCtis (sicut etiamnum in foris vigeat:) in decidendis quorundam discordiis artis peritos in consilium vocare: nam, si de finibus regundis ageretur, judex solet mensores mittere, & per eos dirimere omnem finium quæſtionem l. 1. ff. d. fin. reg. non dispari quoque ratione, militum causæ, militares sortiebantur judices. l. ult. C. de re milit. l. ult. C. d. off. mil. jud. facilit l. ult. C. d. jurisd. omn. jud. arg. Rub. d. ventr. insp. & al. Auditio ad hanc rem Tullium pro C. Balbo. Etenim, inquit acutè, cum de jure prædicatorio consulenteretur, homo juris peritissimus consultores suos non nunquam ad Furium & Casellium prædictatores rejiciebat. Si nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quam C. Aquilium consulebamus, quod assidius usus, uni rei deditus, & ingenium & artem sape vincit: Quis dubitet de federibus, & de toto jure pacis & belli omnibus juris peritissimis Imperatores nostros anteferre? Vid. Valer. d. loc. Quicquid tamen hoc omne aspernandum non est, sane, si in

12 EXERCITATIO JURIDICA

negotii nauticis tale quid occurrat, de quo nihil certi aut scripto jure caatum, aut consuetudine introductum est, monitore Straccha, uti assignat *D. Vinn. in dedicat. Not. ad P. Peck rem Naut.* moribus tamen nostris, cum de Naufragio queritur, ordinariè experiendum esse, erudit *D. Groenew. ad d. l. 5. C. de naufr.*

XIII. Id porro considerationem nostram exigit, quid sit juris, si navis lacera, naufragio proxima, aliena fuerit materia resecta, anne nihilominus deficientis mansura navis est? Respondet Minicius manere: Sed si in ædificanda ea idem fecisset, non posse Julianus notat: nam proprietas totius navis carinæ causam sequitur. *l. 61. ff. d. R. V. junct. l. 26. ff. d. A. R. D.* Merito! cuius enim rei eadem species & forma remanet, eadem quoque res esse intelligitur. *l. 76. ff. d. jud. Add. Ant. Faber. in Ration. ad d. l. 61.* ideo in domo pignori data exusta aptè dicitur pignus remanere, si instauretur *l. 29. §. 2. ff. de pign.* sed si ex oppignorata sylva facta sit navis, jus pignoris non sequetur. *Cofal. advers. ad l. 18. §. 3. ff. d. pign. act. vid. Hotoman. Qu. Ill. q. 8.*

XIV. Quid tamen, an non saltem ei, qui credidit in eam rem, hypotheca legalis est competitura, perèque atque ei, qui in reparationem ædium erogaverit juxta *l. 1. ff. in quib. caus. pign. v. hyp. tac. contr.*? Nequaquam. Id quo dñ ipsa harena, si sic lubitum opponentibus, disputabo: nam toties excusam questionem, huc aliunde transplantare neve discutere animus, neve operæ pretium fuerit. Jucundiorem egero laborem, si de aliis juris maritimi præcipuis articulis, qui occasione Naufragii efflorescunt, de Assurcationibus, Proxeneticis (de quibus Vid. *Benevenutum Straccham*) si de Naviculariis, Nautico fænore, sive de Trajectitia pecunia, quæ propter periculum infinitas usuras potuit olim recipere. *Borcholt. d. V. O. cap. 7. & 8. n. 50. 49. l. 4. C. d. Naut. fæn. junct. l. 26. C. d. usur.* si de Cambio, Monopoliis, similibusque explicatius differere daretur, quod sint me valentiores præstituri.

XV. Itidem controversum est, an, quum navis non quidem vado adlisi, attamen quod Naufragio æquipolle, perducta fuerit intra hostium præsidia, postliminii jure recuperari possit? Quam questionem, utpote ex publici juris fonte manantem, ex eodem relinquo determinandam *D. Grotio d. Jur. b. & p. lib. 3. c. 9. n. 14. 15. 16.* Vid. *D. Groenew. ad Tit. ff. d. capr. & postl. reversi.*

XVI. Tandem insigne Naufragorum levamen paulo pressius adgrediamur; aut eorum potius, qui tempestate gravi orta (tribuente, sive maritima sive terrestris sit, immunitatem à pena judicio se non sistentis. *l. 2. §. 3. 6. ff. si quis caus. in jud. Add. Gail. 2. obs. 64. n. 13.*) naufragii vitandi causa detrimen-

tum.

mentum passi sunt, dummodo id probent adserentes intra annum *I. z. C. d.*
naufr. Mastard. d. prob. vol. 2. concl. 1090. Testes autem, qui Naufragio
intersuerunt, possé recipi etiam altera parte non citata, dictat *Gail. 1. obs. 18.*
inf. Stracch. d. affectur gl. 28. n. 2. per l. 7. ff. d. incend. ruin. naufr. Id præsidii
humaniter ebullat lex Rhodia, quæ de legibus nauticis perscripta est. *I. 1.*
I. pen. ff. d. L. Rhod. d. jact. Harum legum id, quod de jactu conceptum est,
fragmentum enucleabimus, quantumpote breviter. Rhodienses quam fue-
rint celebres *europia* navalı, mirum est credere; planè, ut à peculiari rerum
maritimarum peritia atque disciplina navalı, *Nautici populi* nomen meruerint,
autore *Floro lib. 2. c. 7.* Incoluere Rhodium parvam insulam, permagnam
tamen, ut patebit deinceps. Ea non longe ab Asis minoris littoribus dis-
 juncta jacet, qua Carpathium pelagus cum Lycio confunditur; jam Troicis
temporibus mari potens, & tribus urbibus clara; quibus post Xerxis ex
Græcia dissesum, quarta est coaddita, insulæ cognominis, & alte cum reli-
quarum diminutione excrescens; Hæc fortean ea Rhodiorum sit civitas, de
qua in *I. 6. C. d. off. Rect. Prov.* (*Phodiorum* mendose, ut videtur, *ibid. impressa*)
adseritur, quod *injuriam suam non tam decenter, quam sero conquesta est.* Ante
Alexandri M. tempora, prout vel Atheniensibus, vel Lacædemoniis con-
junctior Rhodiorum resp. ita & populi vel optimatum regimini propior
fuisse videtur: Sed tam potens, ut cum Chiis & Byzantiis difficile bellum
sociale Atheniensibus moverit, mare prædonibus purgaverit, & sociorum
atque amicorum populi Rom. nomen abstulerit. Vid. *Brisson. d. form. ex A.*
Gellio lib. 7. c. 4. Liv. lib. 16. Tam denique clara litteris, ut ipsi J. Cæsar ac
M. Cicero ad Rhodium studiorum causa demigrarent, & quamvis eam pri-
mò à Saracenis occupandam, postea à Solimanno Turca opprimendam, in-
fatis esset, hunc tamen etiam cepit postremis potentiae suæ temporibus fru-
ctum exultæ justitiæ, ac sapientiæ, ut nauticis legibus toti Imperio Rom.
datis, perque universum tractum maris Mediterranei, ad instar juris
gentium cultis, æternis laudibus celebretur, uti cum aliis hæc facit testatio-
ra veneranda vetustas. Vid. *Strabon. pass. Livium, Gell. lib. 7. c. 3.* *aliosque.*
Isthac lege Rhodia cautum, ut, si levanda navis gratia jactus mercium factus
esset, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. *I. 1. & pass.*
ff. d. L. Rhod. d. jact. Constitutum, in quo cum justitia certat æquitas! Scil.
ubi necessitas jussit, durum telum, cum mari decidere, & consulere vitæ
dispendio rerum præstabilius esse suaserit, quam simul cum rebus interire,
nunquid oppido conveniens est, commune fieri detrimentum eorum, qui
propter amissas res aliorum, consecuti sunt, ut suas salvas haberent? *I. 2. in-*
fin. pr. ff. eod.

14 EXERCITATIO JURIDICA

XVII. Cæterum, constitutio L. Rhodiæ de jactu ad fatales casus alios, planeque consimiles, incendium puta, aliudque damnum in Rep. accidens D. Bekman. ad h. L. n. 70. & seqq. extendi poterit; arg. l. 17. ff. d. leg. l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam. ibiq. Borc. nam si urgente flamma (dum Satyrico autore

Alter aquis, alter flammis ad sidera missus)
 ut à vicinorum ædibus erumpentem ignem arcere possim, meas ædes dejecere, salute vicinorum quæsita, æquum est, ut æstimationem domus meæ ob communem utilitatem dirutæ, viritim resarciant vicini, aut ad quos verisimiliter ignis potuerit pervenire, etiamsi ad domum dejectam reapse nondum pervenisset. arg. l. 1. l. 2. inf. pr. ff. b. t. tum, quia par ratio est incendi & naufragii, arg. l. 18. C. d. farr. tum, quia damnum, pro communi utilitate acceptum, commune esse debet. Gail. 2. obs. 22. n. 4. Sand. decif. lib. 5. Tit. 7. def. 3. faciunt insigniter l. 30. §. 3. l. 49. §. 1. ff. ad L. Aq. parum obstante l. 7. §. 4. ff. quod vi aut Clam. dummodo memineris justo metu ductum intercidisse vicinas ædes d. l. 49. §. 1.

XVIII. Unde & heic excluditur metus levis ac panicus, qui in constantem virum cadere non deberet. arg. l. 5. l. 6 ff. q. m. c. quoniam ex meticuloso jactu contributio non præstatur. per d. l. 49. d. L. Aq. ex quo intelligi debet, cum, qui mari non adsuetus Neptunum petierit, is ilicè velit facere jactum, quando ingruente undarum turbine navis non videatur se posse adversus fluctuum insultum erigere, in eo utique casu est, ut ad contributionem agere neutquam possit: nam (monitore Vinnio ad Peck. rem Naut. p. 195.) diserte cautum est legibus nauticis Philippi 11. art. 4. van Schipbrouck / Zeewerp &c. non licere nauclero (quem Ratiarium alibi, alibi Navicularium vocatum video l. 30. ff. d. pign. act. l. 1. §. 3. ff. Naut. Cap. Stab.) quantumvis laborante nave, jactum mercium facere, funes incidere, malumve aut antennas cædere, nisi re prius communicata cum mercatore, ejusque institore, vulgo Factooy of Commis / eorumque voluntate super ea re prius explorata, ac prius proposito vectoribus communis minantique discrimine, siquidem ipsi in navi sunt; quod & antiquitus observatum fuisse discimus ex l. 9. Rhodiensem tom. 2. verba sunt, Εὰν τοις ἐπειδὴς βελεῦσται ὁ ναύκληρος ἐπερωτήτω τις ὀντας οἷς χρίματά ἔστιν εἰ τῷ πλοῖῳ &c. Quod si isti in jactum consentire recusent, posse quidem eo non obstante magistrum jacturam facere, at non nisi de consilio majoris partis sociorum navalium, qui iter emensi, ac post tanta superati pelagi signa, quasi per aspera & incerta, per longa & continua tempestatum mortuumque

discri-

discrimina, huc & illuc pervagati, mira tandem Dei providentia in siccum pertracta navi, una cum magistro solenni jurej. declarant, justum subsuisse periculum, communique consilio exonerasse, *Grot. 3. introd. p. 19.*

XIX. Contributionis autem dum incidit mentio, videndum quid hoc loco sit contribuere? Idem, quod simul tribuere, quasi aliis partem præstare. *d.l. 1. l. 2. & pass. ff. d. L. Rhod.* unde Naso

Contribuere aliquid juncosaque littora Babes.

Alia significatione occurrit non contribuere in *l. 1. ff. d. compens.* *l. 30. §. 1. ff. locat. l. 1. §. 12. l. 11. §. 5. ff. ad L. Falc. l. 1. §. 12. ff. d. Separat.* & alibi. ut heic contributio nihil aliud sit, quam sarcitio *d.l. 1. pr.* Nostratisbus vero, oratione nautica, *Haberie:* quoniam in portu fieri solet contributio, *Cl. Hub. prel. ad h. t.* alioquin *Avarien.* quod à Græco βαρὸς onus, seu βάρος, navis derivant alii, Vid. *Pet. Pek. ad rem Naut. ibique D. Vinn. Quint. Weytzen. Tract. d. avar.*

XX. Nunc despiciamus, an contributioni locus esse queat, si jactus occasione merces aliae deteriores redditæ, detectæ, atque adeo aquæ aspergine corruptæ sint? & dicendum quod sic. *l. 4. §. ult. ff. b. t.* nam & corruptionis nomine dominis mercium contribuendum est, modo plus sit in damno seu in corruptione, quam in contributione, uti adducto exemplo id collustrat *JCTus* in *d. l. 4. §. ult.*

XXI. Est & hic Callistrati suis verbis annexenda decisio; sed si navis, inquit, quæ in tempestate, jactu mercium unius mercatoris, levata est, in alio loco submersa est, & aliquorum mercatorum merces per urinatores extractæ sunt data mercede, rationem haberi debere ejus, cuius merces in navigatione levandæ navis causa jactæ sunt, ab his, qui postea suas per urinatores servarunt, Sabinus æque respondit. Eorum vero, qui ita servaverunt, invicem rationem haberi non debere ab eo, qui in navigatione jactum fecit, si quædam ex his mercibus non possunt videri servandæ navis causa jactæ esse, quæ periiit *d. l. 4. §. 1. ff. eod.* Neque enim navis amissæ damnum collationis confortio sarcitur per eos, qui merces suas ex naufragiis liberaverint *l. 5. ff. eod.* quoniam aut nihil communis periculi removendi causa factum est, aut, si quid factum sit, nemini id profuit. *d. l. 5.* Et cum depresso vel dejecta navis est, quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit Paulus, tanquam ex incendio. *l. 7. ff. eod.* Vid. *D. Groenew. ad d. l. 4. §. 1. ff. b. t.*

XXII. Interim de Urinatoribus habendum, dici sic eos ab urinare, i. e. in caput emergere, & ad instar phocarum, aut ranarum sub aquis, communito

16 EXERCITATIO JURIDICA

nito ore natinare. Vid. Plin. lib. 1. c. 37. ut sint, merularum in morem, immi
scrutatores oculatissimi. Hos hisdem versibus descriptis graphicè Manilius.

*Illi in Ponto jucundum, querere pontum,
Corpora qui mergunt undis, ipsumque sub antris
Nerea, & equeoreas conantur visere Nymphas;
Exportantque maris predas, & raptæ profundo
Nanfragia, atque imas, avidi scrutantur arenas;*

XXIII. Similiter frustra imploratur contributionis auxilium, si v. c.
navis reparata fuerit, deustis fortean fulminis iactu armamentis, & arbore,
aut antenna, funibus, velis, anchoris per l. 6. ff. d. incend. ruin. naufr. l. 6.
ff. b. t. Navalibus gecalesfatert: hic enim sumtus instruendæ magis navis,
quam conservandarum mercium gratia factus est.

XXIV. Sic etiam ejectioni consimile fit, si merces nonnullæ in sca-
pham trajectæ fuerint, ut navis portum facilius celeriusque intraret, eaque
scapha summersa est; Contra, si scapha cum parte mercium salva sit, navis
perierit, ratio haberi non debet eorum, qui in navi perdiderunt, quia jactus
in tributum nave salva venit. l. 4. pr. ff. b. tit. Quod si post jactum res quæ-
dam recuperentur, eatenus exoneratur contributio; vel si jam facta, con-
tributum pro rata repetitur, l. 2. §. pen. ff. eod. neque enim per jactum amittit
tit dominium, l. 2. §. ult. l. 8. ff. eod. nisi restales projectæ sint, quæ pro-
tinus aspersione corrumpuntur. l. 43. §. 11. ff. d. furt.

XXV. Investigandum quoque est, quinam conferre debeant? & hi qui-
dem præcipue contributioni sunt obnoxii, quorum interfuisset jacturam
fieri, seu quorum res per jactum aliarum mercium salvatae sunt l. 2. §. 2. ff.
b. t. quin imo ipse projectarum mercium dominus: quippe, cui pro rata
tanto minus tribuitur, quantum cæteris ex contributione decepsit, seu ab-
est; sic etiam nauta, qui est dominus navis, conferre tenetur, cum salvam
suam retineat navem d. l. 2. §. 2. modo tamen justa subfuerit naufragii cau-
sa, ac consensus, ut supra evictum; non vis, aut casus, Cl. Voet ad b. t.
non naviculariorum culpa, qui haud secus, atque elementum, quod fin-
dunt ratibus, barbari esse consueverunt, (atque revera in navibus educati,
quam phrasin in naticum genus apprimè quadrare, scribit Erasm. in adag.
p. 402. p. 303.) vel præcipiti avaritia, qua plus justo naves onerant, vel fune-
sta incuria, impetu, superbia, incivili audacia l. 3. C. d. Naut. fan. quibus
fretum velut ventosque, ultrices tandem, provocant, Jovamque tentant

*Qui spumantia nutu
Regna quatit, terrasque salo complectitur omnes.*

Valer.

Valer. Flacc. Argonaut. Si tale quid patratum ab infidis hominibus, genitumque vectoribus præjudicium, id de proprio tenebuntur sarcire. *arg. l. 27. §. 3. ff. ad L. Ag. l. 30. ff. locat. Stracc. d. naut. & nav. Cl. Hub. prælect. b. r. n. 8.* sicut id solos onerabit malesanos, seu navis dominos, seu mercatores, si auri sacra fame laborantes eo devenerint libidinis, (nam eos nequicquam abigit ab inexplebili cupiditate, non servidi calores Mundi, nec Borea finitimum latus, Durataeque solo nives:) ut illicitas immittere merces non vereantur, inde autem factum fuerit, ut dispendium navis sustineat, inique commissum cadat; quo tam licitas quam illicitas publicari merces, quin ipsam in d scapham, seu majoris navis accessionem, & adminiculum verius est, per l. 11. §. 2. ff. d. public. l. 3. C. d. naut. fan. A. Matth. d. crim. d. las. Maj. c. 5. n. 18. 19.

XXVI. Denuo indagandum, quæ res in collationem veniant; Conferuntur autem omnia, quæ sunt in nave, quæ domini interfuit salvare, exceptis liberis capitibus, quorum nulla est estimatio. *l. 3. ff. si quadr. panp. l. ult. ff. d. his q. eff. v. dej. l. 106. ff. d. R. f. cibariis, quorum communio est omni necessitatibus casu. Grot. d. f. C. & p. c. 2. n. 6.* ut tamen deficiente commeatu, gravissimè puniatur expilator panarii, ut adducto ex annalibus exemplo retulit Vir *Cl. D. Matth. d. crim. tit. d. furt. n. 7. in fin.* qui autem panario s. annonæ præpositus est *dietarius* haud perperam dici potest, imo debet: quicquid *dietarios* in *l. 1. §. 3. ff. naut. caup. stab. Navicleros s. navium Magistros*, inconsideratius interpretatus est D. Schefferus de *Milit.* *Nav. lib. 4. c. 7.* De cætero conferuntur servi, *arg. Tit. Cod. si serv. exp. ven.* annuli & gemmæ, ut ut harum rerum aut nullum, aut perexiguum onus est; vestimenta quoque, nisi quotidiana forte, pecunia numerata, ut judicatum, teste Weytzenio, quin & pro ipsa, ut dictum, nave confertur *d. l. 2. §. 2. & pass. b. t.* maxime si à piratis capta, denuo redenta fuerit. *l. 2. §. 3. ff. b. tit.* Sane, si quis navigandi, vel navis defendendæ causa, ab hostibus, pyratisve, alterve læsus, mutilatus fuerit, damnum, & id quod interest, cum plena mercede, sumtibusque sepulturæ, quodque mage est, cum estimatione doloris & deformitatis (contra genium Juris Civilis, vid. *l. 33. ff. ad L. Ag.*) refundendum fore, locupletes testes reperias *Grotium, Grocœw. Vinn.* De Rapinis pro Avariis non habendis, & quare? vide apud *Haber. in prel. b. r. n. 3.*

XXVII. Ad consequendum autem id, quod ratione jactus debetur, nulla quidem actio prodita est domino mercium jactatarum, contra eum, qui suas ex ejusmodi jactu habuit salvas: sed ipse potius adversus magistrum

18 EXERCITATIO JURIDICA

navis actione locati conducti experitur l. 2. ff. ad L. Rhod. d. jact. non sic, ut magister ipse de proprio reparet damnum, sed ut is à cæteris vectoribus contributionem exigat d. l. 2. vel ipsorum sarcinas, si quas habent, capsulas, scrinia, aliaque retineat, donec portionem damni præstent; vel ut Magister contra reliquos vectores ex locato conducto agat, ut pro rata detrimentum sarciant d. l. 2. sive sarcinas in navi habeant repositas, easque vehendas locaverint, sive loca in navi conduixerint, pecuniamque aut pretiosa secum portent l. 1. ff. b. t. Job. Loccen. attamen si magister actionem suam mercium jactatarum domino cedere mallet, audiendus videtur arg. l. 51. ff. d. pecul. l. 16. §. ult. ff. d. hered. petir. quoniam non tenetur cavere, ut sint cæteri solvendo arg. l. 2. §. 6. ff. b. t. quem locum D. Struvius b. n. 28. de naulo accipit, quod vectorum aliquis dependere nequeat, quasi id reliqui viatores dinumerare cogerentur; Id, quod una cum Cl. Hubero n. 6. probare nolim arg. l. 9. ff. d. R. f. nec admodum improbare: quia diffitendum non est, commodum sensisse vectores, eoque obstrictos videri supplere deficiens arg. l. 10. ff. D. R. f. quibus, sic beatis, immo, quod enataverint super aethera velis, thura libantibus (Vid. Orphei Argonaut. Scheff. d. Milit. Naval. Vet. lib. 4. c. 2.) volupe non erit, propter vilem nummum motus ciere, idque cum navitis sape cerritis, multumque, ut fit crebro, vappa prolitis, ut Flacciana commodem.

XXVIII. Cæterum pro Magistro navis habendus est, cui totius navis anchora i. e. administratio, seu, ut cum JCto loquar, cura mandata est. l. 1. §. 1. ff. d. Ex. Act. arg. l. 57. ff. d. V. S. sive is præpositus sit ab exercitore, sive ab alio magistro d. l. 1. §. 5. Græce πιστός, δοῦλος πιστός, quod ejus fidei committatur navis; Varia autem antiquitati fuere Magistrorum genera, ut Magister Equitum, Populi, Auctionum, Exercitus, Morum, Collegii, Vicorum, Legum, Census, Societatis, Scriniorum, Memoriae, Libellorum, Ceremoniarum, Obsonii, Convivii, qui Plauto Strategus appellatur. Vid. pass. Histor. Sext. Ruf. P. Victor. Sueton. Ros. & alior.

XXIX. Simili modo is, quialterius bona imminentे periculo naufragii, levandæ navis causa projicit, ideo, quod aliena rejicerit bona, vel ex isto facto, quo dederit damnum, quodque citra istum casum delictum foret, nulla actione teneri potest, sive mercium projectarum dominus adversus præcipitan tem, actionem quandam vel ex contractu vel ex delicto instituere nequit l. 14. pr. ff. d. Praef. V. attamen ex alio capite ad collationem constringi poterit, quod nimis per alienarum mercium jacturam suas assertasset incolumes; & directo quidem ac principaliter à Domino non conveniuntur:

nitur: verum à magistro, cuius, actionis adversus se institutæ causa, ap-
primè interest; quique alias locationis conductionis occasione incurreret
damnnum. Conf. similia exempla in *I. 60. §. 5. ff. locat. I. 13. §. pen. inf. ff. d.*
aet. emt. add. omnino D. Struv. b. c. n. 24. ad fin., ubi refutat sententiam
Buchn. d. J. aquat. existimantis (oppido inaniter!) actionem mandati aut
negotiorum gestorum iis competere, quorum res jactæ sunt.

XXX. Palmarium prætereundum non est, si, (ubi marina spumat rabies, &

— — — *Ubi totum à sedibus imis*

*Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad sidera fluctus.)*

navis in navim impingens perierit, vel tantis immittit ventorum furiis con-
citata, ut una confregerit aliam, hiccine contributio locum sibi vindicabit? Lis
plusculum frequens & ardua! componit eam Ulpianus in *I. 29. §. 2. 3. 4. ff.*
ad L. Aq. cui concordat juris Rhodii *I. 40.* Usibus sane nostris quotidiana-
num, damnum utrimque communicari. *Sim. à Leewv. Cens. For. item Room's
Holl. Recht lib. 4. part. 39. n. 7. 8.* Vid. *Grot. d. J. b. & p. lib. 2. c. 17. n. 21.*
Groener. ad d. I. 29. Neostad. decis. 48. 49. &c. id, quod rationem habere,
edocet *Cl. Matth. d. crim. tit. d. damn. inj. dat. c. 3. n. 2.*

XXXI. Denique cum modo ineundæ æstimationis absolvamus; Nempe, æstimandæ sunt in contributione res omnes & jactæ & salvæ, at diversa ra-
tione: nam jactæ quidem non pluris, quam quanti emtae sunt, salvæ vero,
quanti venire possunt, æstimantur *I. 2. §. 4. ff. ad L. Rhod. d. jact.* quod ideo
fieri scribit Harmenopolus, quo & *damnum* (Latinè dicam, quod ille
Græcè:) *quoad fieri potest, minuatur, & lucrum amplius propagetur*: sic
enim utrisque consuletur, & iis, qui jacturam fecerunt, & iis, qui res suas
salvas habent; Nummorum autem æstimationem fieri placet, non secundum
extrinsecum aut imposititum valorem, sed intrinsecum, uti ex Grotio instruit
Cl. Huber. ad b. t. n. 6.

XXXII. Restaret congerere, quibus contributio cessat, casus: verum
istos, locis quoque suis consistere, nec ut confido, ἀτάκλως deprehendit
Lector, cui dico animitus, quum meanunc

Anchora de prora jacitur, stat littore puppis,

V A L E.

P A-

P A R E R G A.

I.

An exheredatio sine expressa causa testamentum faciat ipso iure nullum? Neg.

II.

An exheredationum causae possint extendi? Aff.

III.

An bonæfidei possessio lucretur fructus naturales? Neg.

IV.

An industriales tantum? Aff.

V.

An tutelæ datio sit ordinariae jurisdictionis? Neg.

VI.

An fidejussor in majorem summam acceptus, quam debet reus principalis, in summam concurrentem teneatur? Aff.

VII.

An contractus in testamento celebrari possit? Neg.

VIII.

An filius fam. non possit testari de plenis adventitiis? Aff.

IX.

An sponsalia in ebrietate contracta omnino sint servanda? Neg. vel Aff.

F I N I S.

Reponat B. Lect.

Num. 3. Lin. 13. loco V. S. lege R. V.

Num. 4. Lin. 2. post Cic. 1. d. fin. adde, equorum, quas Hippagogas vocat Livius 5. Dec. lib. 4.
Lin. 6. post vinarias, lege, l. 21. §. 5. ff. d. furt. pectorarias, actuarias l. 2. ff. &c.